



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Examen Confessariorum Repetitum

Schoonaerts, Gregor

Coloniæ Agrippinæ

VD18 14542323-001

§. 3. Quomodo acquiratur dominium per præscriptionem?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41226

R. Neg. Quia dominus libentissimè ea retineret: hinc in Bulla Cœnæ Domini, & Cap. *Excommunicatione*, De raptoribus, excommunicantur, qui bona naufragorum auferunt.

2. An liceat pretio currenti emere agrum, in quo tu solus nôsti latere thesaurum?

R. Aff. Quia thesaurus non est pars fundi, vel illius fructus, & jus fodiendi in agro non solet specialiter æstimari ab hominibus, nisi quando sciunt, in eo latere thesaurum, vel saltem magna est suspicio.

S. 3. *Quomodo acquiratur dominium per præscriptionem?*

PRÆscriptio definitur: *Acquisitio Domini, vel juris per continuationem possessionis tempore per legem definito cum cæteris requisitis.*

Secundùm jus Canonicum ad legitimam præscriptionem concurrere debent hæc quatuor:

1. *Possessio.*
2. *Titulus probabiliter præsumptus.*
3. *Bona Fides.*
4. *Continuatio possessionis cum bona Fide per tempus lege definitum.*

Requititur *continuatio possessionis* &c. hinc si quis inchoaverit possessionem cum bona fide, & anno V.G. elapso rem sciat esse alienam, & pergat interim possidere, tempore elapso possessionis, non præscribet rem, sed fiet malæ fidei possessor.

1. An per præscriptionem legitimè factam rei transferatur Dominium in præscribentem in foro conscientia?

R. Aff. Constat 1. ex Lege 1. ff. ubi dicitur: *Introd-
ducta*

ducta est usucapio (quæ differt à præscriptione tamquam magis commune à minùs communi) *ne diu, & ferè semper incerta essent rerum dominia.* 2. Ex Lege 3. ff. ubi usu-capio definitur: *Acquisitio Domini.*

Deinde Ecclesia præscriptionem bonæ Fidei approbat, ut constat ex Cap. *Auditis.* Cap. *Cum olim.* de præscriptionibus, in quibus titulo præscriptionis jura Episcopalia adjudicantur Abbatibus.

2. Quantum temporis à jure requiritur ad legitimam præscriptionem?

R. 1. Ut res mobilis de jure communi præscribatur cum titulo, & bona fide, requiritur triennium: si possessio rei mobilis sit sine titulo, postulatur 30. anni.

R. 2. Bona immobilia privatorum, ut præscribantur cum titulo, postulatur 10. anni inter præsentés, 20. inter absentes, sine titulo 30.

Præsentes hîc sunt omnes illi, inter quos familiaris est negotiatio, ita ut quæ facta sunt in uno loco, facilè innotescant in alio, quales sunt, qui habitant in una Provincia, &c. Absentes verò sunt, inter quos non est tam familiaris communicatio, ita ut plura etiam notabilia contingant in uno loco, quæ ignorantur, vel ignorari debent moraliter in altero.

R. 3. Rei immobilis præscriptio contra Romanam Ecclesiam non perficitur nisi annis 100. Quo ad præscriptionem tum mobilium, tum immobilium pertinentium ad loca pia, ob-

servandum, quòd non absolvatur præscriptio per tempus commune à jure statutum, sed videnda hîc partim Ecclesiæ, Canonumque constitutio, partim jura, & privilegia Ecclesiarum, & Monasteriorum.

R. 4. Legata, & fidei commissa non possunt præscribi nisi post 30. annos completos. Actio injuriarum exspirat lapsu unius anni.

3. Quis possidendo potest præscribere?

R. Ille, qui domini capax est, & quidem illius rei, cui insistit: hinc Religiosus sibi nihil præscribere potest. Laicus non præscribit jus decimarum, quantumvis longo tempore decimas ut suas detineat, quia illius juris incapax est.

C A S U S I.

Petrus biennio possedit rem aliquam mobilem bonâ fide, interim postea incidit dubium, an res non sit Joannis; apparent quedam motiva, ob que judicat possibile esse, quòd res sit Joannis; Queritur, an Petrus motiva illa veri similia negligere possit, Et viâ præscriptionis rem, de cujus Dominio dubitat, facere suam?

R. Neg. Quia dubium illud superveniens bonam fidem interrumpit. Cujus ratio est: Petrus in casu non potest formare judicium certum, quòd res sit sua; unde, ut advertit noster Aragonius, ille dubitans non habet bonam fidem, sed sauciam: fides enim bona debet esse quieta.